

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

CLXIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

stus olim conceptus & victima factus, & Adam ac Eva ante 536. annos conditi esse putantur.

Has literas per pegafarios cursores Augustam ad Joh. Baptistam Henzelium mitte.

David Chytræus.

CLXIII.

S Ad tuas, easque binas, nihil respondeo, eò quod tuum expecto adventum, idque magno cum desiderio. Cæterum ne me forte domo absente Basileam venias, significare libuit septima Dominicam Quasimodo sequente usque ad Dominicam Misericordia, in Marchionatu duas celebraturum Synodos, & alia quædam expediturum, Domino volente. Ab eò autem tempore non amplius ad menses aliquot quoquam peregrinaturum. Rogabo interea Dominum, ut professionem tuam dirigat & secundet, quo te liceat hospitem multo gratissimum excipere, colloquio sancto refici. Bene vale cum uxore, filiis, totaque familia & sacro presbyterio, quibus salutem dicas amanter & reverenter. Scribere filiis non potui, ob celerem nuncii abitum. Scripsi Basil. 6. April. anno 74.

R. d. r. totus

Sulcerus.

CLXIV.

Salutem in Christo. Reverendissime & clarissime vir.

Literas tuas avidè expectavi, & libentissimè legi: ac quòd initio excusas, quòd non communi consilio & consultatione, ad petitiones nostras, de proximo nostro scripto respondistis, oprarim omninò id in posterum fieri posse. Nihil enim nobis optatius est, quàm audire Dominum nobis per fratres loquentem; ejusmodi commonefactiones reverenter amplectimur. Noltri tumultuari, & nos quantum possunt, deformare pergunt. Tria enim brevi tempore scripta ediderunt contra nos. Primum fuit inquietissimi hominis, Irenæi, quòd ad me nominatim instituit. In quo, præter scurriles debacchariones, calumniæ penè infinitæ sunt. Secundum est nova Confessio DD. Comitum, Volradi & Caroli, fratrum, in quo atrocissime accusamur. Sed non sine gravissimis calumniis. Tertium est Spangbergii, in quo conatur evince-

pe, nos